



A & doctorem euangelicum in fauorem eius doctrinæ coram multitudine cleri & populi declarauit, certos etiam articulos infrascriptos, & plures alios, & merito damnabiles, tanquam catholicos esse asseruit & publicauit, qui in libris ipsius Ioannis Hufz & opusculis notorie continentur. Quapropter habita per prius plenaria informatione de præmissis, & diligenti deliberatione reuerendissimorum in Christo patrum dominorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum & cæterorum prælatorum, & doctorum sacre paginæ & iuris utriusque in multitudine copiosa, hæc sacrosancta Constantiensis synodus declarat & diffinit, articulos infrascriptos, qui, habita collatione per plures magistros in sacra pagina, reperi fuerunt contineri in eius libris & opusculis manu propria scriptis, et quos etiam idem Ioannes Hufz in publica audientia coram patribus & prælatis huius sacri concilij confessus fuit in suis libris & opusculis contineri, non esse catholicos, nec tanquam tales esse dogmatizandos, sed ex eis plures esse erroneos, alios scandalosos, alios quos piarum aurium offensiuos, pluresque eorum esse temerarios & seditiosos, & nonnullos eorundem esse notorie hæreticos, & iamdudum à sanctis patribus & generalibus concilijs reprobatos & damnatos, ipsosque prædicare, dogmatizare, aut quomolibet approbare, districte inhibendo. Sed cum infrascripti articuli expresse continentur in libris seu tractatibus suis, uidelicet in libro quem intitulat de ecclesia, & alijs suis opusculis, ideo libros prædictos & doctrinam, & singulos tractatus & opuscula in Latino siue uulgari Bohemico per ipsum editos, aut in quocunque alio idiomate per alium uel alios translatos, hæc sacrosancta synodus reprobat, atque condemnat ipsos comburendos publice & solenniter in præsentia cleri & populi in ciuitate Constantiensi & alibi. Decernitque, & diffinit, adhiæns propter præmissa, omnem eius doctrinam merito esse & fore suspectam de fide, & ab omnibus Christi fidelibus euitandam, & ut de medio ecclesiæ illa pernicioosa doctrina eliminetur, hæc sacrosancta synodus prorsus iubet, per locorum ordinarios, tractatus & opuscula huiusmodi per censuram ecclesiasticam, etiam si opus fuerit, cum adiectiõe penæ & fauoræ hæresis, diligenter inquiri: & repositos, ignibus publice cõcremari. Si quis autem huius sententiæ ac decreti uiolator aut contemptor extiterit, statuit eadem sancta synodus, per locorum ordinarios & inquisitores hæreticæ prauitatis, contra talem uel tales ueluti suspectum uel suspectos de hæresi, procedendum. Visi in super actis & actitatibus in causa inquisitionis de & super hæresi contra prædictum Ioannem Hufz habitis & factis, habita per prius fideles & plenaria cõmissariorum in huiusmodi causa deputatorum relatione, aliorumque magistrorum in theologia ac doctorum iuris utriusque in, de & super actibus, actitatibus, ac dictis testium fide dignorum & plurimorum, quæ dicta, ipsi Ioanni Hufz palam & publice lecta sunt coram patribus & prælatis huius sacri concilij, per quorum testimonium dicta apertissime constat, eundem Ioannem multa mala, scandalosa, seditiosa & periculosa hæreses dogmatizasse in publico, & per multa annorum curricula prædicasse: CHRISTI nomine inuocato, hæc sacrosancta synodus Constantiensis solum deum præ oculis habens, per hanc definitiuam sententiam quam profert in his scriptis, pronunciat, decernit & declarat, dictum Ioannem Hufz, fuisse & esse uerum & manifestum hæreticum, ipsumque errores & hæreses dudum damnatas & plurima scandalosa, piarum aurium offensiuas, temerarias & seditiosas dogmatizasse, & publice prædicasse, in non modicam offensam diuinæ maiestatis, ac uniuersalis ecclesiæ scandalum, & fidei catholicæ detrimentum, clauas etiam ecclesiæ & censuras ecclesiasticas uilipendisse, in quibus per annos multos persistit animo indurato, Christi fideles per suam pertinaciam nimium scandalizans, cum appellationem ad dominum nostrum IESVM CHRISTVM, tanquam ad summum iudicem, omiſſis ecclesiasticis medijs interposuerit, in qua multa falsa & iniuriosa posuit & scandalosa, in ipsius sedis apostolicæ, censurarum eccle-